

Phil. B  
258



Δ. v. chetepshuf.

phator.

Hist. Litt. ~~sect.~~ 1079.

1282



17. 10. 1815.







SAMVELIS FRIDERICI  
BYCHERI  
ANTIQUITATVM IN ACADEMIA  
VITEMBERGENSI P. P  
HISTORIA  
METAPHYSICAE

EX MSTO *Hist. litt. gen. 1049*

IO. HERMANNI

AB ELSVVICH

MAXIMAM PARTEM

ERVTA

ET

IN CIVIVM ACADEMICORVM

VSVS

IN LVCEM EMISSA

---

VITEMBERGAE

APVD GEORG. MARC. KNOCHIVM

ANNO clc lo CC XXIIII

*hist. litt. 1145.*



Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



ICTO GERMANIAE  
CONSUMMATISSIMO

VIRO

MAGNIFICO EXCELLENTISSIMO  
CONSULTISSIMO DOMINO

DOMINO

IO. BALTHASARI  
VVERNHERO

POTENT. POLON. REGI ET  
ELECT. SAXON. A CONSILIIS  
AVLAE ATQVE IVSTITIAE ACAD  
EMIAE VITEMBERGENSIS ORDINARIO  
ET ANTECESSORI PRIMARIO

RELIQVA

LITERATO

MEMORANDI AD POSTEROS  
EXEMPLI

PATRONO VENERANDO  
HISTORIAM METAPHYSICES  
REVERENTER

D. D. D

SVVMQVE SIMVL OBSEQVIVM  
PIETATIS PERPETVAE PLENVM

COMMENDAT

SALVTEM PARITER VITAM FORTVNAM  
QVAMQVE SECVNDISSIMAM

PRECATVS

Autor





*VIR MAGNIFICE  
EXCELLENTISSIMEQVE*



rauissimis ratio-  
nibus permotus,  
aliquo monu-  
mento, cultus er-  
ga TE perpetui  
pleno, TVVM  
in conspectum uenio. Insolens er-  
ga



ga Musas affectus certissimam, planissimamque uiam monstrant. Iuris prudentiae sine exemplo pene gnarum Philosophiae, quam primam uocare nostra moris est memoria, amantissimum uideo, quod *Scholae TVAE* et uolumina, quae ab humanitate, *μετσωδία*, soliditate, perspicuitate, artis notitia didacticae, mirum in modum, se commendant, luculentissime testificantur. Id praecipue mihi complacitum est, **TIBI** ueram illam Metaphysicam atque perutilem in oculis, barbaram, hoc est, scholasticam, *Fonsaecae, Mendozae, Itzquirdonis*, aliorumque hominum, quibus et obscuritas et barbaries ducitur in deliciis, infensissimo esse odio, unde mihi met de **TVO**

A 3

hic



hic suffragio et applausu immortaliter gaudeo, et animitus gratulor, enixe rogans, uelis TVO me patrocinio, porro, iudicare dignum, et obscuras distinctiones, barbarosque terminos, in Metaphysica mea hinc inde occurrentes, non mihi, sed nostro tribuere seculo. Non enim hos ad imitationem, sed, ut *Theologi Scholastici* melius intelligi possint, repeto aequae expono. Me habebis semper MAGNIFICENTIAE et EXCELLENTIAE TVAE obseruantissimum. Vitembergae Id. Febr. M. DCC. XXIII

ANTE-





## ANTELOQVIVM



quantum lucis Historia disciplinis adferat, uerbis uix efferri potest. πράγματα enim, siue res, et Historia, propinqua, saepe numero, cognatione, inter se continentur, ut uix ac ne uix ab se inuicem separari queant. Non ergo fallunt, qui Historiam eruditionis animam salutant, non fallunt, qui, praeter doctrinae argumenta selectissimae, quam sibi commendatissimam habent, Historiae, qua fieri potest, literariae operam nauare, instituunt. Sed in arenam scriberem, at-


)(

que



que aethiopem lauarem, si uerborum am-  
bagibus in Historiae, quam nemo sanus  
uituperauit unquam, laudes excurrerem.  
Mihi semper hactenus, scholis in philoso-  
phicis, sectionem subnectere historicam,  
est complacitum, cuius rei praesens Me-  
taphysices Historia testis erit. Quan-  
quam autem initio, integram Philoso-  
phiae Primae Historiam in lucem emit-  
tere, et Metaphysicorum scripta ac placi-  
ta, praesertim recentiorum Philosopho-  
rum opiniones, a ueritate saepius alienis-  
simas, sub examen reuocare, mihi consti-  
tutum erat, mentem tamen, re penitus  
perspecta, mutauit, laborem hunc illis,  
quibus otium uacat, et rixandi, ab quo  
me alienissimum uolo, studium compla-  
cet, relicturus. Quam ob rem succin-  
ctam, praeunte Elsuuichio, Philosophiae  
Primae Historiam iuris facio publici,  
quam priuatis in scholis aliquoties fusius  
explicui, tam ueterum, quam recentio-  
rum Philosophorum scriptis ac placitis  
priuatim sedulo sub incudem reuocatis,  
atque subinde notatis, refutatisque. Quae  
igitur hic desiderari uidentur, uox docen-  
tis uiua de facili supplebit. Vitembergae  
in Saxonibus, Id. Febr. clō lō CC XXIII  
HISTO-





# HISTORIAE METAPHYSICAE

## §. I.

**E**ruditionem et Sapientiae studium, a mundo inde condito, inter homines uiguisse, nullum est dubium. Vnde Hebraeis *Adamus primus magister, professor ueluti et sibolarcha* salutatur, cui successit *Setbus*. Post huius obitum rei scholasticae curam susceperunt *Enofus, Kenan, Mabalaleel, Jared et Hanochus*, qui *Parapbrasti Chaldaeo* propterea סֵפֶרָא רַבָּנָא, *Scriba, siue Doctor, magnus*, dicitur. *Abrabamum, Isaacum, Iosephum*, alios sapientiae amantissimos fuisse, uerosimile est. *Leuitarum ac Sacerdotum* urbes apud *Hebraeos* erant *Academiae, Gymnasia, scholae*, ut loquuntur *Mafius et Lightfootus*. Studiosi tum temporis filii, Prophetarum filii, et dilecti dicebantur.

## §. II.

Academiae uocabantur simpliciter בֵּית, *domus*

אֵס

נַחֲבִי



κατ' ἐξοχὴν, מְדַרְשׁ, בֵּית מִדְרָשׁ, ἐπιζητήσεως,  
 εἰς ἑαυτὴν, Talmudice אַהֲלֵי פְנֵי בֵּית, domus do-  
 ctinae, אֶסְכוּלָה, schola, ab Hebraeorum שְׁלָה,  
 quod hic non significat *vacare, in otio uiuere*, uti  
*Valchius et Becmannus uolunt, sed tranquillum,*  
*humanum, saluum, augustum, fortunatum esse,*  
 unde *Schola*, notione sua, non est locus homi-  
 num otiosorum, sed *locus augustus, fortunae fa-*  
*brica, tranquillitatis, humanitatis ac pignorum se-*  
*cretiorum sedes atque custos*, ubi פְּקוּדֵי־מֵי־יְהוָה, *deposita*  
*diuina*, i. e. *leges diuinitus sancitae, seram in po-*  
*steritatem, asseruantur.*

### §. III.

Inter uetustissimas autem Academias celebris  
 est *uniuersitas Bethel*, alias *Berb-Azen* dicta; *De-*  
*bir*, *urbs Palaestinae*, qui aliquando קְרִית סֶפֶר,  
 קְרִית אֲרָכִי et קְרִית סְנָה dicebatur. Postmo-  
 dum inclaruerunt *Gilgalensis, Ierichuntina, Miz-*  
*ypaensis*. Inter *Gentiles* celebres erant *Alexandri-*  
*na*, et *Heliopolitana* in *Aegypto*, ubi *Alexandriae*  
 splendidissimum museum fuit, quod *Aegyptiae*  
*mensae* nomen tulit, τὸ δὲ μουσεῖον τεράπειζα αἰ-  
 γυπτία, *Die Aegyptische Communität/ Das Con-*  
*uictorium in Aegypten/ et bibliotheca instructissi-*  
*ma.* Vid. *Progr. meum de Sapientum Honoribus*  
 et Τεράπειζη αἰγυπτία.

### §. IV.

In Graecia praesertim Philologiae et Philoso-  
 phiae



phiae studium efflorescebat, unde *Grammaticorum* ordines τεχνικοί, ιστορικοί, siue ἐξηγητικοί, κριτικοί sunt exorti, item σοφοί et σοφισαί. Athenis Academia *Platonis* celeberrima summum laudis fastigium est consecuta, locus suburbanus amoenissimus, ubi natura belle ludebat, ab *Academio*, heroe quodam, ita dictus, quem *Plato*, ex itinere aegyptio redux, ter mille drachmis sibi ac suis redemit, et bibliotheca instructissima illustrem fecit.

§. V.

Praeter hanc inclarescebat *Aristotelis Lyceum*, siue περίπατος, σοὰ *Zenonis*, *Cynosargicum Antisthenis*. *Corinthi* inclytum erat *Gymnasium κεράνιον*. *Thebis* *Pythagorici* iuventutem, bonas ad literas, informabant. In *Academia Cretensi* *Lycurgus* *Lacedaemoniorum* legislator iurisprudentiam a *Thalete*, musico et Icto, percepit. Inter ueteres *Academias* emicuit quoque *Nicomediensis* in *Bithynia*, in *Cilicia Tarsensis*. Haec autem bonarum literarum empyria uocabantur σχολαί, σχολεῖα, διδασκαλεῖα, φροντιστήρια, παιδευτήρια, χορηγεῖα, διατριβαί, μισεῖα. Loca inprimis olim illustra erant, quae dicebantur λέξεις, id est, hae cathedrae καὶ οἱ τόποι, in quibus Philosophi, differendi et discipulandi causa, congregari solebant.

§. VI.

*Romani* exteras *Academias* frequentes, studiorum causa, petebant, quanquam *Graeci* hos eruditione et literis longe uincerent. Scholae Romanorum



manorum, auctoritate constitutae publica, erant *Athenaeum, Capitolium et Pergulae Magisteriales*. *Veteres Germani* omnem ferme uitam uenationibus et cura rei transigebant militaris, artis gymnasticae peritissimi. *Tactus* de moribus *Germani uiri*, inquit, *ac feminae literarum secreta* (quanquam uir, plane perfecteque doctus, hic per literarum secreta literas intelligit amatorias) ignorant; *Bardos tamen, Vates ac Druidas, antiquos apud Germanos, Gallos, alios, literis dedisse operam, memoriae proditum est.*

#### §. VII.

De cetero omnis ferme generis studia partim floruerunt, partim incrementa ceperunt inter *Hebraeos, Chaldaeos, Persas, Phoenices, Sabaeos, Indos, Arabes, Aegyptios, Graecos, Romanos, primos Christianos*, ubi *Ecclesiae Patres* plurimi in *Genitilium Academia* literis discendis dederunt operam. *Seculo III. Berytensis Academia*, teste *Gregorio Neo-Caesariensi*, efflorescere coepit, et *Constantinus M.* rem scholasticam et literariam *Seculo IV.* mirum in modum, adiuuit, quanquam *Patres Graeci Latinis* longe sunt antehabendi.

#### §. VIII.

Omnes hae gentes et nationes *Philosophiae*, tam *Theoreticae*, quam *Practicae*, suo modo, fuerunt dediti. Certe res olim fuit, ritus, pro temporum mutatione, mutarunt. Quare nos statuimus, *Metaphysicam et Logicam* primos inter homines uiguisse.



guisse. Distinguendum tamen est inter olim et nunc, olim fuit *magis naturalis*, nunc, siue hodie, est *magis artificialis*, hoc est, notionibus secundis et terminis technicis, antiquitus non usitatis, mirum in modum, aucta. Olim *systematice* et *acroamatice* non uidetur esse proposita et publice tradita, sed *methodo* ueluti *naturali et uulgari*, per quotidiana colloquia. Is enim aequè morum institutoris tuetur titulum, qui per prata et latifundia cum suis exspatiatus eosdem erudit, quam qui domi iuuentutem, ad mensam accumbentem, ad literas et humanitatem informat.

#### §. IX.

Quanquam ergo olim haec Philosophia usu fuit recepta, *Aristoteles* tamen primus uidetur, qui *methodo* *systematica* eandem docuerit. Constat inter omnes, *Pythagoreos* multa de Ente, per quod pariter Deum cum *Aristotele* intelligebant, disseruisse. Praeter hos etiam *Socrates* et *Plato*, et ex *Socratis* discipulis, teste *Laërtio*, quidam Dialogum ediderunt *περί τῆς οὐσίας*. Quoniam uero *Aristoteles* Philosophiam hanc maiori studio est persecutus, omneque apud suos punctum tulit, haec ipsi in primis adscribitur. Sed non unius generis sunt argumenta, de quibus in libris *Metaphysicorum* agitur, ut, sane, perobscurum sit, qua tractandi ratione *Aristoteles* utatur, aut, quid ex eius libris ad *Ontologiam* speciatim pertineat, asserere. *Plato* suo iam tempore in ea fuit opinione, opus illud *Aristotelis* ita digestum esse, ut nec doceri, nec disci



disci possit, tantumque ueluisse Aristotelem in eo specimen quoddam et exemplum posteris proponere, ex quo eruditi illam scientiam possent, adhibito iudicio, distincte describere. Tentauit tamen, istos libros aliquem in ordinem redigere, *Samuel Petrus l. 4. Miscellaneorum cap. 9.*, quem secutus est *Iac. Thomaeus in Historia Metaphysica p. m. 71.* qui pariter libros Metaphysicorum in tres partitur partes, quarum prior *πρὸ Θεωρίαν*, h. e. lexicon terminorum philosophicorum in genere, altera *Θεωρίαν*, ipsam tractationem, h. e. Theologiam naturalem, posterior *ἐπι Θεωρίαν*, h. e. appendicem, siue Axiomata et Canones, complectitur.

§. X.

Quodsi tamen dicendum, quid de libris istis sit sentiendum, nihil certe solidi exinde confici potest. Nam, quamuis facile *Alexandro Aphrodisaeo* adstipuler, profectos esse ab Aristotele, certum tamen est, eos nunquam ab *Aristotele* ipso istum in ordinem esse relatos. Taceo reliqua, quae circa Argumenta ipsa moneri possent.

§. XI.

Quid alii praestiterint, non adeo clarum est. Forsan etiam haec Philosophiae pars cum reliqua Philosophia Peripatetica paria habuit fata, nec tot inuenit, quot *Platonica*, fautores. Post *Aristotelem* eius in schola successores haud segniores sese quidem praebuerunt; ita etiam, *Laertio* teste, de uero et falso *Theophrastus* et *Strato Lampsacenus* de



de causis, de accidentibus, aliisque, quae referri ad Ontologiam solent, varios libros conscripsit; uerum post illud tempus a plerisque neglectui habitata fuit. Postquam autem caput iterum tollere coepit, inuenti sunt plurimi, qui libros Metaphysicorum Aristotelis suis illustrarunt commentariis. In his eminet Alexander Aphrodisaeus, cuius commentationes quanti faciendae sint, inde facile colligitur, quod hic *Alexander*, iudice *Nunnesio*, in *Introductione in Philosophiam Peripateticam cap. 2. pag. 30.* una norma esse debet interpretum *Aristotelis*.

### §. XII.

Ex *Christianis*, seculo VII. *Iohannes Philoponus* in primis multum in hoc studii genere collocavit industriae, cuius etiam extant in libros Metaphysicorum Commentarii. Videtur autem ille ex abusu eiusdem in *Tricheisum*, cuius primus dicitur Auctor, prolapsus esse. Nam quod *Aristoteles* ipsi occasionem praebuerit, disertis uerbis affirmat *Leonius Byzantinus*. Rectius eodem usus est *Boethius*, qui primus *personam* definiuit, in qua tamen definitione *Laurentius Valla* et alii quaedam desiderarunt.

### §. XIII.

Post haec tempora summa ubique ingruit barbaries et figillatim in regionibus maxime, quae ad occidentem spectant. Nam apud Graecos literarum et Philosophiae studia per aliquod tempus  
adhuc



adhuc uigebant. Nec defuisse apud eosdem, qui  
Metaphysicae amantissimi erant, suo, post alios,  
exemplo probat *Iobannes Damascenus*, et quem,  
*Colomesio* in operibus p. 703. teste, est imitatus  
*Leontius Cyprius*. Equidem et in regionibus, quae ad  
occidentem sitae sunt, uidebantur aliquamdiu, *Ca-*  
*rolo M.* imperitante, caput extollere; sed post e-  
ius obitum in maiorem literae iuxta et Philoso-  
phiae squalorem coniectae sunt.

§. XIV.

Interea *Arabes* studium Philosophiae coeperant.  
Hinc, acquisitis *Graecorum* monumentis, scripta  
in primis *Aristotelis* familiaria sibi fecerunt, sua lin-  
gua donarunt, et sicuti Philosophiae Aristoteli-  
cae partem intactam relinquebant nullam, sic et  
Metaphysicae operam pariter dabant. Testem a-  
uocamus *Auicennam*, *Alpharabium*, nec non *Auer-*  
*rboen*, quorum primus, totam *Aristotelis* Metaphy-  
sicam memoria tenuisse dicitur, quibus adde *A-*  
*biabdillam*, qui ingentem de unitate existendi prin-  
cipiorum librum confecit. Atque hi, qui Aristote-  
lis uestigia premebant, Ontologiam cum Meta-  
physica coniungebant.

§. XV.

Ab his Philosophia traducta est ad *Christianos*,  
inuentique praesertim sunt *Scholastici*, qui auide-  
cam amplecterentur, licet multa otiose et subob-  
scure disputent, quae singula, ad Theologiam ap-  
plicata, plurimis controuersis occasionem prae-  
buere.



buere. Multa hi ab *Aristotelis* mente quam alienissima proponebant, quippe quem non in fontibus ipsis, sed uersionibus et commentariis aliorum consulere poterant. Postquam uero literae graecae in Italia, aliisque locis restituebantur, ipso inspecto *Aristotele*, rectius illam interpretari, et Philosophiam ueriores restituere, conati sunt, quam non debita semper habita est circumspectio.

### §. XVI.

Facta per *Lutherum* Reformatione, studium Theologiae iuxta et Philosophiae Scholasticae intermissum paululum est apud *Lutheranos*, sed apud *Pontificios* aliosque uiguit tum ante, tum post tempora Reformationis, quod uastissima *Vasquezii*, *Suarezii*, *Fonsecae*, *Mendozae* et aliorum opera nos docere possunt. Cum uero disceptationes crebras cum *Pontificiis* haberent *Nostrates*, nolabant istud penitus negligere, quare post illa tempora semper reperti sunt plurimi, qui in illa excolenda disciplina multum temporis consumserunt, quod forsan *Reformatis*, *Socinianis*, aliisque occasionem dedit maioris forsan, quam par erat, eam faciendi. Testes sunt *Horneius* et *Calixtus*.

### §. XVII.

Et uidentur sane, qua hoc studii genus de palma decertasse Academiae. Ut a nostra incipiamus, suas hic uires periclitati sunt *Nicolaus Hunnius*, *Balthasar Meisnerus*, *Calouius*, *Martini*,  
B Scharf-



*Scharffius, Donatus, Trenschius, Schroererus, Volfius  
Hamburg. Klausingius, Elsuichius, Cleffelius.*

§. XVIII.

Fuit quondam in Academia VVittembergensi  
alumnus *Iobannes Gerhardus*, qui deinceps Ienae  
docuit, ibidemque primum Collegium Metaphy-  
sicum habuisse dicitur. Post hunc celebres ibi fue-  
runt *Daniel Stablius, Paulus Sleuogt, Iob. Zei-  
soldus, Hundesbagen, Veltbemijs, Hebenstreitius,*  
quibus addimus *Syrbium.*

§. XIX.

Helmstadii in hoc studii genere desudarunt in  
primis *Conradus Martini, Conradus Horneius, Henr.  
Rixnerus, alii.*

§. XX.

Gissenae *Casspar Finckius, Christoph. Scheublerus,  
Casspar Ebelius, Kilianus Rudrauffius, Iob. VVeisius,*  
quibus iungo ob controuersias, quas inuicem ha-  
buerunt, Metaphysicos Argentoratenses *Ludou. Ha-  
genreuterum, Iob. Georg. Dorschaeum, Iob. Faustum  
et Sebastianum Schmidium.*

§. XXI.

In Academia Tubingensi magna quondam cele-  
britate Philosophiam professus est *Iac. Schegkius,*  
qui multos Aristotelis libros commentationibus  
suis illustrauit. At nunquam eo induci potuit, ut  
manus



manus admouisset scriptioni praeceptorum metaphysicorum, quoniam animaduvertebat, nullas se ex isto labore reportaturum esse gratias. Praestitit tamen id cum primis *Iob. Andr. Ostander*, cuius Collegium Metaphysicum annexum est Collegio Systematico.

§. XXII.

In Academia Altorfina *Nicolaus Taurellus*, *Ernestus Sonnerus*, *Michaël Piccartus*, et, qui horum scripta in unum uolumen collegit, *Iob. Paulus Feltingerus* hanc disciplinam magno cum applausu docuerunt, *Aristotelem* imprimis secuti. Eclecticus autem fuit *Georgius Paulus Roetenbeckius*, qui ne quidem Metaphysicam pro peculiari habet disciplina, sed eandem sub logica comprehendit. His iungimus Regiomontanos, ex quibus prae reliquis Metaphysicam excoluere *Christ. Dreycerus*, *Melchior Zeidlerus*, *Rabius*, alii.

§. XXIII.

In Academia Lipsiensi pauciores huius disciplinae amatores fuerunt. *Aristotelem* praesertim sequi intendebat celeberrimus quondam Philosophus *Iac. Thomafius*. Non tamen omnes hi, hactenus recensiti, uno modo Metaphysicam profecuti sunt. Alii namque solam Ontologiam tractarunt, alii cum ontologia Metaphysicam, i. e. Pneumaticam, iunxerunt, quorum illi, Metaphysicam peculiarem constituere disciplinam, recte existimabant. Sed



omnium perlustrare scripta, nimis longum foret,  
et a nostro instituto alienum.

§. XXIV.

Sed nec defuerunt, qui Metaphysicam uel emendare, uel alio induere habitu, uel plane reicere, conati sunt. Emendare uti totam Philosophiam, ita Metaphysicam allaborauit *Renatus Cartesius*. Qui Metaphysicam alio induere conati sunt habitu, illi uel plane nouam excogitarunt, uel, ueterem illam restituere, coeperunt. Inter illos merito primus est *Iob. Caramuel (Cronuellus) a Lobkowitz*, in tractatu de noua dialecto Metaphysica. Qui ueterem restituere uoluerunt, illi uel penitus Ontologiam a foro Metaphysico proscribunt, et ea saltim prosequuntur, quae ad DEVM, Genios, Magiam naturalem, aut Theologiam naturalem, uariasque ideas pertinent, id quod fecit *Thomas Campanella* et *Henricus Morus*; uel utrumque coniungunt, quod ultimum facit *Andr. Rüdigerus*.

§. XXV.

Praesertim Metaphysica Seculo superiori et nostro plurimos inuenit hostes. Sex autem mihi uidentur esse neglecti studii metaphysici causae, nempe iurisprudentia naturalis,  $\sigma\upsilon\pi\pi\alpha\chi\iota\varsigma$  Pietistica, Historia literaria et Antiquitatis studium, in primis uero peruersa huius seculi opinio, et nimia literatorum quorundam commoditas.

§. XXVI.



## §. XXVI.

Equidem *Grotius* magni fecit *Metaphysicam*, teste *Boeclero* in praefatione *Commentarii in Grotium* pag. 22. At enim qui post *Grotium* ius naturae interpretati sunt, illi tanti *Metaphysicam* haud fecerunt. Ita u. c. *Pufendorfius* diserte scripsit: A *Metaphysica* *commentari*, ualde pedanticam laudem esse, et exquisitissimam *Metaphysices* scientiam nihil esse, nisi umbram et puluerem etc. *Pufendorfi* sequitur optimi *Philosophi* filius, sed non optimus *Philosophus*, *Christ. Thomafius* in *Philosophia Aulica* c. 2 §. 18. et alias.

## §. XXVII.

Certamina *Pietistica* quanto opere *Metaphysicae* nocuerint, experientia loquitur. Nam sub initium statim harum controuersiarum reperti sunt, qui collegia sua *Metaphysica* et *Logica*, ante habita, *Vulcano* dederint. *Bilefeldus* *Gissae*, testibus *Rostochiensibus* in *Der Verantwortung* pag. 53. disputationi hoc subiunxit corollarium: *Philosophiae* in *Theologia* aut exiguus, aut nullus est usus. Hunc sequitur *Zieroldus*, praesertim in *Synopsi* p. 439. ubi non ueretur scribere, calumniam esse, neminem prohibere, ne quis discat *Logicam* et *Metaphysicam*, ut *Lexicon terminorum*; ipsum *Salomonem* dicere: applicaui cor meum ad cognoscendam stultitiam etc.; quae sane in laudem *Metaphysices* haud dicta esse possunt.

## §. XXVIII.



### §. XXVIII.

Fuerunt, qui crediderunt, fatius esse, in locum Professoris Metaphysici constituere aliquem in Academiis, qui Historiam literariam, aut Antiquitates publice profiteatur. Idem est, quod in uotis habuit *VVachterus*, ut nempe, abrogato Professore Metaphysices, aliquis iuberetur Cabalam interpretari. Multa autem tribuit neglectui Metaphysicae inanis hominum persuasio, qui partim in scholis, partim in Academiis, reiectis et quasi ad orcum missis studiis humanioribus et philosophicis, tantum studio iuridico, homiletico et thetico operam suam nauant.

### §. XXIX.

Haec apud nos potissimum Metaphysicae imminuerunt aestimium. Apud *Batavos* idem effecit Cocceianismus. Nam cum *Cocceius* exegetin renouaret et Theologiam, proscriptis terminis scholasticis, alio habitu indueret, fieri non potuit, quin honor et pretium Metaphysicae concideret. Testis est *Hulsius* P. II. Theologiae Hypotheticae p. 15. in Academia Leidensi cachinno exceptum esse, si quis termino Philosophico, etsi in Theologicis tritissimo, usus fuisset. Quare cum eadem tractandi Theologiam ratio nunc passim in Germania, praesertim in Academia Tubingensi, obtinet, mirum non est, quod passim etiam Metaphysica uilescat.

### §. XXX.



Hinc tot coniecta sunt in Metaphysicam dictoria,  
 tot aduersus eandem editi libri, ut eo maiori ludibrio  
 exponeretur, quem scopum cum primis praefixum  
 sibi habuit Anonymus, qui A. 1699. pagellas hoc  
 titulo inscriptas edidit: Die Wohl- Ehr- Wür-  
 dige/ Groß-Achtbare und Wohlgetahrte Meta-  
 physica, oder Uber-Natur-Lehre/ als die Könis-  
 gin aller Wissenschaften/ oder Hochbetraute  
 Leib-Magd, oder Kammer-Jungfrau der Theo-  
 logiae Terminologuae, allen Unlateinischen zur  
 Verwunderung aus dem Lateinischen Grund-  
 Text in unsere Hoch- Deutsche Frau Mutter-  
 Sprache übersehet/ mit einer Vorrede der Hoch-  
 Löblichen Universität zu Albel in Paphlagonia, und  
 dem examine der Herren Candidatorum Philoso-  
 phiae Aristotelicae, gedruckt in der Stadt Vrbs,  
 Drey Viertel Jahr vor dem neuen Seculo.

Interim, qui mitius iudicant, illi Metaphysicam,  
 tanquam lexicon aliquod terminorum, admittunt,  
 quorum sententiam pariter secutus est Anonymus  
 in libro de concordia rationis et fidei cap. 2. §. 15.  
 pag. 7. Horum ex numero sunt celeberrimus  
*Buddeus* et recentiores, qui illum sequuntur, plu-  
 rimi, quanquam hi quod ingenue fatendum, tan-  
 tum umbram, et uix tertiam Metaphysices par-  
 tem, suis aliquando auditoribus sistunt, atque in-  
 culcant. Nos, ad orcum missis et abiectis Scho-  
 lasti-



laticorum quorundam et Aristotelicorum nonnul-  
lorum tricis et inutilibus disquisitionibus, utile Me-  
taphysices Obiectum, tam adaequatum, quam  
inadaequatum, siue, tam directum, quam indire-  
ctum, data opera, tractauimus, postmodum distin-  
ctiones et diuisiones plurimas in medium adduxi-  
mus, ac denique Axiomata, siue Canones Philoso-  
phicos, rite explicauimus, subiuncta Philosophiae  
huius applicatione, h. e. utilitate, quam praestat  
in controuersis Theologicis, Philologicis, Philoso-  
phicis, aliis, tum quoque in explicandis Scripturae  
locis, quae singula, quantum, hac ex eruditionis  
parte, alias in disciplinas redundet, luculenter testi-  
ficabuntur. Reliqua uoci docentis uiuae ex-  
plicanda, discutienda, illustranda re-  
linquimus.

FINIS













Philos B 258



